



Disputatio VII.

Continens *diezodov* Articuli VI.

De Tertio Vsu Legis.

PROFORMV-
LA CHRISTIANÆ
CONCORDIÆ,

Quam assistente divinâ gratiâ,

SUB PRAESIDIO,

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. LEONHARTI
HUTTERI, SS. THEOL. D. ET
Professoris in celebri Academia VViteber-
genfi Publ. in Collegio disputationum Theolo-
gicarum privato proponit & exhibet

JOHANNES LUCKEN Lemgo-
viensis Westphalus.

*Ad diem 28. Septembr. Anno 1603. horis
pomeridianis.*

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.





VIRIS

Dignitate amplissimis, Prudentia
Consultissimis, Virtute & eruditione præstan-
tissimis, Autoritate excellentissimis

Dn. HERMANNO PROTT,
Dn. HERMANNO COTTMANNO,
Dn. IOHANNI COTTMANNO,
Dn. NEVELINO TILLENIO,

Reipub. Lemgoviensis Coss. dignissimis,
Patriæ Patribus meritissimis,

*Dominis ac Fautoribus suis perpetuüm colendis, Propos-
sitiones hasce Theologicas in debite ob-
servantia Symbolum*

Offert, Dicat, Consecrat,

Respondens.





DISPUTATIO VII.
DE TERTIO USU LE-
GIS DIVINAE.

Occasio sive ἀφορμὴ hujus Controversiæ.

I.

Quoniam per Dei gratiam vera lux doctri-
nae caelestis profligatis Papistarum tenebris, qui-
bus utraq; doctrina Lex & Evangelium densissimè
involuta annis benè multis in regno Antichristi fuerat,
Ecclesiae Christianae ministerio Megalandri Lutheri re-
stituta esset, hominesq; de vero utriusq; Legis & E-
vangelij usu rectè institui inciperentur: malè illud Sathanam habuit, qui
nihil non tentavit, ut cursum Evangelij reslorescentis retardare, homines-
que à recto veritatis tramite ad quævis errorum præcipitia abducere
posset.

II.

Excitavit proinde fanaticos quosdam, qui Legem moralem ipsi-
us Dei digitis consignatam, & tremenda cum majestate inter fulgura &
tonitrua promulgatam, prorsus ex agro Evangelico proscribere, & ultra
Sauromas relegare non vererentur.

III.

Atq; hic error mox post Augustissimam illam Augustæ Vindellicorum
Anno 30. Carolo Quinto Imperatori exhibitam Confessionem suppul-
lavit, authore Iohanne Agricola Islebio, postmodum Libri Interimi-
stici compilatore haud postremo.

IV.

Et quamvis superstitis ad huc B. Lutheri autoritas eum ab hoc er-
rore revocavit, & in viam reduxit: unde etiam factum ut agnito errore
publicè hinc VVitebergæ Palinodiam cantarit, sincerioresq; doctrinam pro-
fessus

essus fuerit: Nihilominus tamen B. Luthero fati defuncto, postea ad ingenium redijt, eandemq; cramben Ecclesie Christi recoquere non dubitavit.

V.

Hac igitur controversia cum diu multumq; Ecclesiam Dei graviter exerceret, multiq; etiam non infimarum classium Theologi dementati, errori huic assentirentur: Omnino necessarium visum fuit Libri Christianae Concordiae autoribus, ut etiam hanc controversiam publice dirimerent, veritatemq; caelestem ex verbo Dei solide astruerent, ut sic pax & Concordia Ecclesie Christi postliminio omni ex parte restitueretur.

VI.

Horum vestigiis etiam nos insistentes consuetâ illâ rei Cholopicae, qua Liber Christianae Concordiae cuiuslibet controversia statum proprium ac legitimum, initio definit: Deinde eiusdem Deorum sive Affirmativam Scripturarum firmissimis testimoniis & rationibus confirmat: ac tandem An Deorum manifestè reijcit, presentem disputationem sive Deo pertractabimus.

CAPUT. I.

Status Controversiae proprius & genuinus.

I.

Quod Proprium est hareticorum, ut hinc & inde fluctuent, nec certam doctrinae suae sententiam semper teneant, sed subinde eam mutant, variant, interpolent: Id Antinomis etiam usu venit: qui cum apertis Scripturae testimoniis urgeri se, & erroneam suam de Lege Dei, eiusq; usu, opinionem feriri animadvertenterent, variè se torserunt, nec stabilem sententiam usq; tenuerunt.

II.

Hinc factum, ut controversiae statum aliter atq; aliter formarent: An videlicet Lex simpliciter abrogata sit, nec ne? An Lex soli politicae Iudaicae servierit, nec ne? Item, An digna sit Lex qua in Ecclesia Christiana hominibus inculcari debeat, nec ne? & quae huiusmodi plura fuerunt.

Novissime

III.

Novissimè autem solum Tertium usum Legis, qui Renatos potissimum respicit, impugnandum sibi sumpserunt.

IV.

Vnde jam etiam Controversiæ status certior oritur, quem Concordiæ liber hunc in modum format: An lex renatis inculcanda, & eius observatio apud eos urgenda sit, an non? Affirmativam Orthodoxi quique tenent. Negativam Antinomi propugnarunt.

V.

Hoc stante Controversiæ statu, reliquos errores, quos initio Antinomi nimis palpabiles de Lege siverunt, sed postmodum pro suis vel publicè non agnoverunt, vel subdole suppresserunt, Libri Christianæ Concordiæ authores de industria omiserunt: ne vel quod in controversiam non veniret, ponere, vel alijs alienam sententiam affingere viderentur.

C A P U T. II.

Thesis sive Affirmativa.

I.

Θέσις de proposito Controversiæ statu Concordiæ nostræ clavis & perspicuis verbis ita informat: Credimus, docemus & confitemur, Legis concionem non modo apud eos, qui fidem in Christum non habent, & pœnitentiam nondum agunt, sed etiam apud eos qui vere in Christum credunt, verè ad Deum conversi & renati, & per fidem justificati sunt, sedulo urgendam esse.

II.

Rationes huius affirmati Concordiæ ex scriptura profert pregnantissimas.

III.

est. Quod Christus idèd in hunc mundum venerit, hominesq; propterea redemerit, ut in novitate vitæ ambulent, in lege Dei die ac nocte meditentur,

A 3

atq;

atq; in eius observatione sese assidue exerceant Luc. 1. v. 74 ut liberati ser-
viamus ipsi in sanctitate & iusticia coram ipso cunctis diebus vite nostrae. Tit.
2. v. 14. Qui dedit semetipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate, &
purificaret sibi populum peculiarem studiosum bonorum operum. Ephes. 2. v.
10. Conditum sumus in Christo Iesu ad bona opera, ut in ijs incederemus. Hebr. 9.
v. 14. Qui se obtulit inculpatum Deo, & emundavit conscientiam nostram a
mortuis operibus ad serviendum Deo &c.

IV.

2 Quia Lex Dei instar speculi alicuius lucidissimi est, in quo voluntas
Dei aeterna, & immota de operibus ipsi placentibus perspicue proponitur. Hic
enim primarius sermone promulgari Decalogi finis est, ut sit norma & regula o-
mnium nostrarum actionum, juxta quam solam opera & cultus Deo prestare
teneamur Deut. 5. v. 32 Non declinabis, neq; ad dextram neq; ad sinistram:
& cap. 12. v. 32. Quod ego precipio tibi hoc tantum facito. Iosu. 1. v. 7. & 8
Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed mediteris in ea die ac nocte.
Esai. 8. v. 20 Ad Legem & testimonium. Proverb. 3 v. 5 Ne addas quic-
quam verbis illius, ne arguaris inveniariisq; mendax. Ferre enim omnino De-
us non potest cultus illos hominum auctoritate inventos, quantumvis specioso
cultus divini titula venditentur. Esai. 29. v. 13. Matth. 15. v. 8. Marc. 7. v.
6. Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum.

V.

Et hoc usq; adeo verum est, ut ne ipsum quidem Adamum, in Innocentia &
perfectiois statu degente, Deus prorsus sine lege videre voluerit, vel arbitrari-
am cultus divini electionem ipsi relinquere: Verum tum universam Legis mo-
ralis summam menti eius insculpsit, tum vero etiam legem particularem &
peculiarem tulit, juxta quam Deo sua obsequia testata redderet: videlicet
mandatum de non edendo fructu arboris scientiae boni & mali Genes.
2. v. 17.

VI.

3 Cum certum sit secundum indubitata Scripturarum testimonia, Re-
natorum in hac vita non esse eam conditionem, ut mentis eorum regeneratio,
sive sanctificatio omnibus numeris absoluta & perfecta sit: sed cor humanum
multis semper navis & inquinata mentis laboret Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. Esai. 64.
v. 6. Psal.

v. 6. Psal. 50. v. 7. & 119. v. 3. & 142. v. 2. Job. 9. v. 1. & 25. v. 4. Proverb. 26.
v. 9. Ecclesiast. 7. v. 21. 1. Iohan. 1. v. 8. Omnino necessaria est Lex. ut ve-
terem Adamum (quasi asinum indomitum & contumacem) secundum
prescriptum Legis subinde regat & flectat ad obsequium Christi Psal. 119.
v. 71. 1. Cor. 9. v. 21. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte
cum aliis predicaverim ipse reprobus fiam.

VII.

4. Cum tanta hominibus natura insint tenebrae, tantaque caligo men-
tis, ut ingenitum hoc natura sua malum spirituale agnoscere, & animad-
vertere non possint: accedit Lex, quae peccata, etiam occulta & rationi alias
ignota, pandit, & in apertum producit. Rom. 7. v. 7. Peccatum non cognovi
nisi per legem: nam etiam Concupiscentiam non novissem, nisi Lex dixisset non
concupisces. Rom. 3. v. 20. Per Legem cognitio peccati. Rom. 5. v. 13. Pecca-
tum non esse putatur nisi existente Lege. Rom. 5. v. 20. Lex propterea sub-
intravit ut abundaret delictum. sc. non multiplicando Peccata, sed magni-
tudinem peccati ostendendo.

VIII.

5. Denique addi his rationibus quas Concordia nostra longe gravissimas
percenset, potest & haec, sumpta ab exemplo Christi & Apostolorum. Chri-
stus certe Matth. 5. non solum promiscua turba exactissimam Legis con-
cionem, sed etiam discipulis suis renatis eandem observandam exhibet;
Ita luceat, inquit, lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona
opera. Et ne quis dubitet de operibus legis eum differere, statim annexit, Ne
existimate me venisse ut solverem Legem: non veni ut dissolverem, sed ut
implerem v. 17. Sic Paulus Romanos, magnam partem renatos, ad dile-
ctionem proximi exhortaturus, ex Decalogo illis mandata secundae tabulae
recitat Rom. 13. v. 8. & 9. Et Ephesiorum liberos ad obsequia parentibus
praestanda ex quarto Decalogi precepto, eiusque annexa promissione extir-
mulat Ephes. 6. v. 1. & 2. Similis ex lege desumpta exhortatio habetur E-
phes. 4. v. 22. & seq. Coloss. 3. v. 9. 1. Petr. 4. v. 8. & seq.

IX.

Hinc invictissime contra Antinomios concludimus:

Illam doctrinam ad quam à Christo conditi & liberati: quae in-
star lucidissimi speculi voluntatem Dei nobis proponit, quaeque o-
pera Deo verè placeant, ostendit: quae unica regula & norma o-
mnium

mnium nostrarum est actionum : quæ exhortatur & incitat homines ab bona opera: quæ homines ad peccatorum agnitionem deducit & imperfectionis suæ commonefacit: quam denique Christus, Apostoli & universus Prophetarum chorus inculcavit, proposuit & urisit, ea etiam nūm apud renatos in Ecclesia Christi sonare debet :

At talis est Lex.

Ergo.

Majorem, tanquam ἀναμφίλογον, nemo, nisi quicum ratione insanire velit, negabit. Minorem hætenus dicta firmissimè comprobant. Constabit ergo & Conclusioni sua immota firmitas, tūm contra Antinomorum furores, tūm contra ipsas inferorum portas.

X.

His ergo ita constitutis, considerandum nunc venit, quatenus verè credentes in Christum, a Lege liberati nihilominus opera Legis præstare teneantur?

XI.

De hac questione ex Concordia nostra expedita est hæc responsio, quod etsi verè credentes Spiritu Dei revera agantur, & hac ratione secundum hominem interiore, libero & spontaneo Spiritu, voluntatem Dei faciant : non tamen id absque Lege, sed secundum Legem Dei præstent.

XII.

Neq; est ut hic quisquam illud Pauli obvertat, quod 1. Tim. 1. v. 9. scriptum extat: iusto Lex non est posita: siquidem id non ἀπλῶς sed κατὰ τὴν pronunciatum est: & sententia eius est, quod Lex eos, qui per Christum Deo reconciliati sunt, maledictione sua obruere nequeat, cum nihil damnationis sit his, qui sunt in Christo Iesu Rom. 8. v. 1. & quod renatis coactione sua molesta esse non possit, quandoquidem illi secundum interio-rem hominem Lege Dei delectentur Psal. 1. v. 2. & 119. v. 14.

XIII.

Cessante ergo usu illo legis qui in accusando & terrendo consistit: Lex iam sponte à renatis observatur, Spiritu sancto eos regente & ducente.

Vnde

XIV.

Vnde fit, ut renati quidem non sint sub Lege, sed tamen nec sine Lege: sed in lege, hoc est, secundum legem Dei vivant, & ambulent. Psal. 119. v. 15. & 16.

XV.

Distinctè ergò observandum, quomodo Renatorum opera sint Spiritus, & etiam Legis: Vtrumq; enim est verum, nec inter se pugnant, Spiritu Dei duci, & secundum normam Legis divinæ vitam suam exigere.

XVI.

Spiritus sancti opera sunt, quoad Caussam Efficientem: quia ille in cordibus renatorum ea excitat. Et quamvis Spiritus Sanctus tanquam liberrimum agens spiret ubi velit, respectu sui: non tamen ἐπιερωσ, sed ἐπιμερωσ, respectu Subiectorum, sive Renatorum, suum hoc opus ipsi peragere visum est.

XVII.

Hos enim ducit & regit in studio bonorum operum ad obsequendum voluntati divinæ, non extra verbum, sed mediante verbo.

XVIII.

Verbum autem illud non est Evangelij propriè & strictè sumpti: cum Evangelium sic acceptum, non sit faciendorum, sed credendorum, neque ostendat quomodo operibus, sed quomodo fide vitam æternam consequi possimus: Verùm Legis est, cuius opera hac in re Spiritus Sanctus utitur.

XIX.

Obtemperant autem Renati Spiritui sancto non invitè aut coactè: sed potius spontaneè, ac ultrò cum ducentem sequuntur, non tam propter Legis exactionem, quàm interioris hominis promptitudinem. Psal. 119. v. 60. Rom. 7. v. 22.

XX.

Hinc est quod Renati liberi, quod populus spontaneus, quod filij Dei appellantur Iohan. 8. v. 36. Psal. 110. v. 3. Gal. 4. v. 31: Ita tamen, ut
hec

hæc eorum libertas non fit ἀνομιᾶ sed ἐνομιᾶ. Neq̄ enim sibi invicem hæc contrariatur Liberū esse, & Legi Dei subiectū esse: sed tantū sunt subalterna sive subordinata: Siquidem libertas vera non opponitur ordini sive obedientiæ legi debite, sed partim violentæ coactioni, partim servili necessitati: quo neutro modo tenati legi Dei obediunt.

CAPUT III. Antithesis sive Negativa

I.

Avi. Ierw Concordia nostra directè adversus eos dirigit, qui Tertium Usū Legis quoad renatos impugnarunt, hunc in modum: Reijcimus & damnamus ut perniciosum & falsum dogma, quod Christianæ disciplinæ & vere pietati adversatur, cum docetur, quod Lex Dei non sit pijs & verè credentibus, sed tantū impijs, infidelibus & non agentibus pœnitentiam proponenda, atque apud hos solos sit urgenda.

II.

Quo ipso anathematis fulmine scit etiam eos, qui totam Legem Dei tanquam super vacuum è Christianorum templis eijciendam, & ad curiam & forum relegandam magnis clamoribus olim contenderunt. Quemadmodum Lutherus Tom. 7. Ienens. fol. 291. testatur, has & similes blasphemias ab Antinomis eructatas fuisse: Das Gesez seyn nicht werdt das es Gottes Wort genandt sol werden. Decalogus gehöre auff das Rathaus, nicht auff den Predigstuel. Item Alle die mit Moise umbgehen müssen zum Teuffel fahren. An Galgen mit Moise/ &c.

III.

Affinis est horum Nomomachorum heresi Anabaptistarū, quos vulgò Libertinos vocant, furor potius quam error, contendentium non opus esse, ut renati vitam suam ad normam legis divinæ exigant: sed expectandos potius esse arcanos quosdam raptus, sive Enthusiastos, qui doceant quid sit agendum, quidve omittendum. Quare, licet Lex precipiat,
Diliges

Diliges proximum tuum sicut te ipsum : tamen renato liberum esse. vel ob-
servare illud, vel si non placeat, negligere & contemnere.


IV.

Denique in classe errantium haud immeritò connumeranda vide-
tur tota fermè Monachorum & Monialium Religio, quæ extra ver-
bum & Legem Dei, quid vis in cultu divino fingendi licentiam sibi su-
mit, contra expressa Scripturarum testimonia Deut. 12. v. 8. Non facietis
singuli quod sibi rectum videtur. Matth. 15. v. 8. Marc.

7. v. 6. Esai. 29. v. 13.

Μόνω Θεῷ Δόξα.







Disse
 Continens
 De Tert
 PRO
 LA CH
 CO
 Quam assist
 SUB P
 Reverend
 Dn. LE
 HUTTERI,
 Professoris in ce
 genfi Publ. in Col
 gicarum pri
 JOHANN E
 vier
 Ad diem 28. S
 VVITEBERGA

